

Prot. n. 9214/77 CG

N

Nullitatis matrimonii

(X – Y)

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

Paulo PP. VI feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno XV, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, in Congressu diei 3 novembris 1977, vi facultatis ab eodem Summo Pontifice die 21 martii 1974 concessae, causam nullitatis matrimonii decidit inter X et Y, die 25 decembris 1955 in loco Z dioecesis N contracti.

SPECIES FACTI

1. X, catholica e stirpe A oriunda et nondum annos 20 nata, vi oppressa uterum gerebat. Cui vir Y ex alia tribu ortus, sed acatholicus, matrimonium civili die 9 octobris 1954 celebrato, filius die 6 decembris editus est. Vir interim studia superiora prosequebatur et X apud parentes reliquit. Discidiis haud levibus exortis, videbatur concordia facililius restauratum iri si uxor conscientiae suae, contracto matrimonio valido, consuluisset. Adveniente igitur missionario ... ut Missam Nativitatis Domini in domo X celebraret, cum Y casu adesset, brevi instructione praemissa et dispensato impedimento dirimente quo vir tenebatur, filius baptizatus est et matrimonium celebratum est in ipsa sacra nocte Nativitatis anni 1955, adstantibus decem fidelibus A.

2. Concordia tamen inter coniuges non invaluit, vir uxorem vix unquam adivit, immo filiam mense iulio sequenti natam nec aspicere voluit, cum res suas asportaret et uxorem desereret. Pronuntiato divortio civili mense augusto 1957, vir matrimonium cum alia attentavit, X idipsum cum viro non baptizato, W nomine, die 2 ianuarii 1958 attentavit et quinque natos peperit qui cum duobus antea natis catholice baptizati et educati sunt, immo vir W, cum ecclesiam et Missam sedulo frequentet, ardenter baptizari et converti ad Ecclesiam Catholicam desiderat.

3. Missionarii inter A statim causam nullitatis matrimonii, propter exclusum a viro bonum sacramenti, promovere conati sunt, infelici tamen exitu quia nullum erat Tribunal in dioecesi. Quo tamen demum constituto, causa introducta est et, duabus partibus interrogatis, nullus testis de re edoctus reperiri potuit. Officialis propterea causam dereliquit, sed Episcopus N, voto suo et Defensoris Vinculi exhibitis, petit ut nullitas matrimonii propter exclusum bonum sacramenti, citra iuris sollemnitates et in via administrativa declaretur.

IN IURE

4. Contractus matrimonialis consensu mutuo fit quem vir et mulier inter se manifestant, ius in corpus perpetuum et exclusivum in ordine ad proles generationem tradentes et acceptantes. Qui vero hunc consensum non integrum sed mancum vel deformatum praestat, vinculum coniugale non creat, prout qui positivo voluntatis actu essentiale aliquam matrimonii proprietatem excludit (can. 1086, § 2).

Iamvero proprietates essentiales matrimonii numerantur unitas et indissolubilitas (can. 1013, § 2), ita ut qui positivo voluntatis actu matrimonium vult inire dissolubile, invalide contrahat. Positivus voluntatis actus tamen longe distat a simplici errore eius qui matrimonium putat esse aliquo modo solubile, quin deliberate matrimonium solubile intendat, simplex enim error voluntatem seu consensum non ingreditur, nec determinat, sed comitatur tantum.

Si vero contrahens pro more patriae legis firmiter censem matrimonium pro lubitu solvi ac, praeterea, ad divortium recurrere constitut si adiuncta id suadeant, non est dubium quin matrimonium intendat solubile, seu nullum.

Id vero clarius elucet si vir divortium praevideat certe futurum et de eo petendo consilium iam ante matrimonium cepit, quod tamen propter alios fines ritu praescripto contrahat.

Quae omnia diurna iurisprudentia Sedis Apostolicae probata sunt.

IN FACTO

5. Investigationes diligenter factas esse patet ad testes idoneos producendos, quin ullus reperiri possit, ita ut nonnisi coniugum depositiones et circumstantiae quaedam indubiae causae definienda inserviant.

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Pauci erant catholici in tribu ad quam actrix pertinebat, ea tamen, a patre optime educata, fidem sedulo. semper servavit et usque ad hodiernam diem colit, quamvis matrimonium extra Ecclesiam, ad stuprum dissimulandum, contraxerit. Ipsa vero nullam a se simulationem patratam confitetur, quamvis matrimonium nonnisi ad honorem salvandum iniverit, nam matrimonium permanens prole dotatum inire intendit. Ipsa praeterea candide fatetur se numquam intentionem viri contra matrimonium eiusve bona umquam expressam audivisse.

6. Conventus, infans in secta baptizatus, hodie professor est linguae anglicae in Universitate Oregonensi. Qui mox post naufragium matrimonii epistolas ad Rev.dum P, sacri ritus ministrum, scripsit, ut intentionem suam in matrimonio convalidando patefaceret, ut mulier declarationem matrimonii nullitatis posset impetrare. Sacerdos tamen supremum diem obiit anno 1968, litterae conventi deperditae sunt, hic tamen rite sub fide iuramenti coram tribunali ecclesiastico secundum iuris praescripta interrogatus est.

7.- Quaenam fuerit intentio viri in matrimonio convalidando eruitur sive ex verbis eius sive ex circumstantiis de quibus uterque coniux concordem dat depositionem. At dum intentionem viri perpendimus, distinguere oportet inter intentionem matrimonium civile attentantis (die 9 octobris 1954) et convalidantis (25 decembris 1955). De priore vir asserit: "Constitui uxorem eam ducere, ab alio stupratam, ut proles matrem haberet", cuius consensum validum fuisse oportet praesumere. Spatio tamen quattuordecim mensium inter matrimonium attentatum eiusque convalidationem partium animi magnopere inter se dissociati sunt et alia erat intentio viri in matrimonio convalidando. "Concordia initio regnabat, ait conventus, mox tamen incompatibiles nos esse apparuit. Ipsa censuit concordes nos iterum fore si proles in Ecclesia Catholica baptizaretur. Invitus propterea consensi, sperans concordiam iterum constitutum iri, quamquam ullam spem huius effectus excludebam. . . Causae erant incompatibilitas, immaturitas ex parte mea, iracundia ex parte sua. Iam ante convalidationem persuasum mihi erat matrimonium esse collapsurum et consilium iam tentaveram petendi divortium. Iam tribus mensibus post initum matrimonium (civile) apparuit matrimonium vacillare, cum cooperimus litigare de venereis, de educatione prolis etc. Erant enim altercationes, depressio animi utriusque partis, diuturnum uxoris silentium, una cum magna suspicione erga amicos meos. Quas procellas ut vitarem, diu absens domo manebam. Mihi persuasum erat

problema nostrum esse profundum, ‘emotivum’ insolubile, et matrimonium non esse duraturum, at matrimonium inivi (canonicum) ut uxor praecepta religionis suae observare posset”. Vir prolem generare intendit, non autem usque ad mortem in matrimonio perseverare, nec promissam educationem catholicam proliis permittere.

8. Etsi sponsus consensum validum in matrimonio attentando emiserit, facile creditur simulationem in matrimonio canonico ineundo confitenti, si circumstantiae verae sint. At discordia iam partium animos dividebat, vir ruinam matrimonii praevidebat inevitabilem, caerimoniam sacram perfecit cum fine extrinseco placendi uxori, sed invitus, immo iam primos passus in ordine ad divortium petendum fecerat, quod praevidit futurum. Consensus viri propterea videtur contractum respexisse quem solubilem et mox solutum iri putavit et, data occasione, solvere intendit.

9. Uxor, fide dignissima, viri depositionem satis et ultra confirmat. Ipse post attentatum matrimonium civile studia universitaria prosequebatur nec vitam communem cum uxore instituit; haec tamen laborabat ut marito sumptus studiorum suppeditaret. Ille raro ad eam accessit, pluribus studiorum sociis comitatus, ad pecuniam petendam, et statim discedebat. Iam eo tempore, ait uxor, ipse fidem coniugalem violabat. Nato filio die 6 decembris 1954 uxor, propter morbum apoplecticum quem patiebatur, familiam suam repetivit et per ferias Nativitatis Domini virum iterum secum habebat. De matrimonio convalidando uxor plura narrat, quae viri mentem in matrimonio convalidando illustrant. Ille cautiones subscrispsit ad dispensationem impedimenti obtaindam, at vehementer concitatus quod baptismum et educationem catholicam universae proliis promittere tenebatur, gravius autem iratus cum verba audiret de peccato originali pueruli baptizandi tollendo, nuper natus enim, ait, nullum peccatum commisit sed innocens prorsus est. Quam ob rem sponsus amplius cum uxore per ferias loqui recusavit. Post matrimonium convalidatum, vir rarius veniebat, et nonnisi ad pecuaniam petendam, et paulatim consilium separandi et divertendi paravit. Mense iulio sequenti, cum filia nata esset, rebus suis asportatis descessit sed filiam suam vel respicere recusavit.

10. Mutatio animi mariti ante matrimonium convalidatum, spatio quattuordecim mensium, depositionibus sua et actricis luculenter appetit, ita ut constet maritum inivisse matrimonium ad lubitum solubile, immo id fere

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

certe solutum iri praevidisse. Quibus omnibus perpensis Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae in Congressu habito die, mense et anno ut supra, declaravit: “Constare de nullitate matrimonii, propter exclusum a viro bonum sacramenti, in casu”.

Haec sententia, vi praefatae facultatis, est definitiva, ideoque exsecutioni mandetur ad normam iuris.

Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 3 novembris 1977.

Pericles Card. FELICI, *Praefectus*

+ Aurelius SABATTANI, *Secretario*

